



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

Laymann, Paul

Dilingæ, 1673

Capitulum XLII. An deferendum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

los subiecta sit, tunc nisi ex adiunctis aliud intelligi possit, ad præcedentia tantum, non sequentia capitula referetur.

S. Tertio.

SI quis contra Judicem delegatum obiciat, quod eum suspectum habeat, causam suspicionis allegare debet, tunc nisi omnino friuola appareat, Judex delegatus cogere potest partes, ut in aliquos, qui non multum remoti sunt, tanquam arbitros compromittant, ita ut si coram his causa suspicionis intra terminum temporis ab ipsis definitum probata non fuerit, tum idem Judex procedere possit; sin autem causa probata, Judex cognitione superfedere debebit, quandoquidem ratio dicitur, quod suspecti & inimici Judices esse non possint.

De hac re dictum est in *c. Suspicionis. 39. de officio delegati. & in D. de jurisdict. Ordinarum. concl. 40. & 41.*

CAPITULUM XLII.

An deferendum.

PARAPHRASIS.

Titius cum animaduerneret Caium paratum esse ad spoliandum ipsum, appellauit, ne quid attentaretur, sed Caius posthabita legitima appellatione, nihilominus spoliavit. Tunc Titius contra ipsum actionem instituit, offerens se ad spoliationem in continenti probandam. Verum contra hoc etiam Caius appellat:

Resp. Pontifex hoc casu appellationem Caii recipiendam non esse, cum in eo puniendus aliquis sit, in quo deliquit, & qui appellationi deferre neglexit, is appellationis beneficio indignum se reddit.

SUMMARIUM.

1. *Non est audiendus appellans in eodem negotio, in quo ipse ante appellationi legitima non detulit.*

Not. Vnic. Si quis aduersarii sui legitima appellationi non detulerit, postea

audiendus non est, si ipse in eodem negotio appellare velit. *c. Constitutus. 17. h. t.* non enim adiuuatur edicto, qui contemnit edictum, & frustra legis implorat beneficium, qui deliquit aduersus legem. *c. 1. de immunitate Ecclesiarum. & c. quia 14. de usur.* Cum enim in ea causa puniendus sit, ideo adiuuandus & fouendus non est, ne inde commodum consequatur, unde poenam meretur.

Nota autem I. Quod dixi, si legitima appellationi non detulerit, sin vero illegitima & friuola fuit, non idcirco jus suum indefensum relinquere debet pars altera, sed processum petere potest, & postea, si opus sit, appellare *arg. l. Illud. 40. ff. de petitione heredit.*

Not. II. Quod dixi: in eodem negotio siue causa; at vero in alia causa appellatio recipienda est, tamen si qui appellat indiuerfa causa, pendente appellatione quidpiam innouarit *arg. c. dilectus. 55. h. t. & docet Abb. hic. n. 4. ubi ait: doctrinam huius Capituli procedere, si duæ appellationes interponantur circa idem negotium, secus si circa diuersa & non habentia inter se ordinem.* Nam hoc casu puniri debet, qui post appellationem legitime interpositam quidpiam mutauit, non autem idcirco prohiberi quominus in alia causa legitime appellet, consentit cum his doctrina *Innoc. in c. Intelleximus. in fine de adulteriis,* quod delictum vnius delictum alterius promouere & fouere non debet.

CAPITULUM XLIII.

Novit.

PARAPHRASIS.

Innoc. III. mandauit legato à latere ut aduersus terram Regni Galliarum interdictum promulgaret, quod & fecit non obstante appellatione, quam Rex fecit, prætendens legatum ipsi suspectum esse, hoc cognito **Resp.** Inn. quod Legatus edictum non edidit, sed promulgauit; nec fuit dictator eius, sed magis executor; cum itaque secundum iura ab executore appellari non possit, nisi modum in exequendo excedat, sequitur